

## Extra leestekst Les 25 Disco

*Scripsit Alexius mense Martio\* 2020*

### Versie 3

1. Hodie vobis narrabo fabulam miserrimam a P. Ovidio Nasone\* scriptam de Actaeone\*.
2. Quondam Actaeon, iuvenis et filius regis, sine culpa ad locum adversum venit. Multo melius esset, si non faceret.
3. Illo die primum cum amicis et multis canibus in silva ambulat. Dicit: “Capiamus et necemus multos cervos\*!”
4. Cervi autem cogitant “non capiamur et non necemur!” Ergo discedunt et currunt.
5. Amici Actaeonis clamant: “Oh cervi, ne abeatis et ne curratis!”
6. Actaeon cogitat: “Quid faciamus? Quomodo possimus cervos currentes capere et necare?”
7. Vocat: “Canes cervos ad nos referant! Postea iaciamus tela nostra!”.
8. Canes faciunt ut dictum. Deinde omnes iuvenes iaciunt tela, et multi cervi necantur.
  
9. Nunc amici desinere volunt et dicunt: “cibum\* capiamus et ad breve\* tempus dormiamus in silva!”.
10. Actaeon autem in aliam partem silvae ambulare vult. Omnes qui fabulam noverunt velint clamare: “Oh puerum miserrimum! Nunc ne abeas in illam silvam!”
11. In illa silva enim Diana\*, dea pulcherrima, cum multis nymphis\* adest. Ea antrum\* videt et dicit: “Intremus in hoc antrum et nos lavemus\* in parvo flumine. Utinam prosit nobis”.
12. Postea Actaeon quoque antrum invenit et cogitat: “Quid faciam?” Modo ad se dicit: “redeam ad amicos”, modo in antrum intrare vult. Postremo statuit: “Intrem in hoc antrum!”
13. Utinam iuvenis non ibi adesset! Utinam in antrum non intraret! Utinam hoc antrum ab eo vitaretur! Nunc fatum suum miserrimum non iam effugere potest.
  
14. Interea Diana et nymphae se lavant in antro. Vestes corpora earum non iam tegunt. Omnes nudaae sunt.
15. Dea dicit: “Iacite aquam in corpus meum. Sed ne iaciatur aqua in oculos meos!”
16. Tunc Actaeon intrat in antrum et videt feminas nudas. Nymphae ergo clamant et circumdeam consistunt. Nunc Diana in medio earum est. Si Actaeon nudam deam non videret, felix\* esset. Sed iam iuvenis deam nudam vidit.
17. Diana irata est et Actaeon condemnat ad poenam pessimam. Deinde aquam in caput eius iacit et dicit: “Cervus sis, tu miserrime!”
18. Statim corpus Actaeonis mutatur: iuvenis cervus fit. Territus is ex antro fugit. Omnes qui fabulam noverunt velint clamare: “Oh cervus, ne fugias ad amicos!” Id tamen facit.
19. Utinam canes procul essent et cervum fugientem non viderent!
  
20. Mox autem canes feroces cervum falsum\* inveniunt et statim ad iuvenem infelicem\* currunt. Utinam videant hoc cervum dominum suum esse! Sed id nec sciunt nec vident.
21. Undique cervum miserrum petunt neque discedunt donec Actaeon ibi mortuus iacet.
22. Amici clamant et gaudent quod cervus necatus est. Nos omnes qui fatum Actaeonis novimus nunc dicimus: “Oh amici, si vos melius sciretis, non gauderetis ...”.
23. Num cervus necatus sicut praeda domum relatus est? Nescimus. Utinam ne fatum sic crudele sit!

(Verba et nomina nondum nota zie pag 2)

*\*Verba et nomina nondum nota*

mensis Martius *m* – de maand maart

P. Ovidius, *i Naso*, *onis m* – Romeins dichter, beroemd vanwege zijn *Metamorphoses*

Actaeon, *onis m* – koningszoon uit Thebe

cervus, *i m* – hert

cibus, *i m* – voedsel, eten

brevis, *e* – kort (ad breve tempus – korte tijd, even)

Diana, *ae f* – godin van de jacht

nympha, *ae f* – mimf

antrum, *i n* – grot

(se) lavare – (zich) wassen

(in)felix, *icis* – (on)gelukkig

falsus, *a, um* – onecht